

**Dissertatio inauguralis medica de methodo endermica ... / submittit
Sigismundus Kisfy.**

Contributors

Kisfy, Sigismundus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Pestini : Typis Landerer et Heckenast, [1847]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rgcz4fmw>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
METHODO ENDERMICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET
DIRECTORIS PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS
DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
DD. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME OBTINENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE PESTIENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT
SIGISMUNDUS KISFY.



Theses adnexae defendentur in palatio Universitatis die mensis
Julii 1847.

PESTINI.
Typis Landerer et Heckenast.

METHODS OF EXAMINATION

OF THE
VITAL FUNCTIONS OF THE
HUMAN BODY
IN THE
NORMAL AND
DISEASED STATE

BY
J. C. W. WILKINSON, M.D.

LECTURER ON
THE PHYSIOLOGY OF
THE HUMAN BODY
IN THE
NORMAL AND
DISEASED STATE

IN THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

LONDON:
J. C. W. WILKINSON, M.D.

1857

Printed by J. C. W. WILKINSON, M.D.

Tekintetes és tudós

ANGRETHI

KEMPF JÓZSEF

gyógy és sebész tudor urnak, a' mgs Pribézi és Kichini Jankovits Család ns
Somogy megyében keblezett uradalmi, és a' t. cz. Balaton- vidéki orvosi
egylet rendes orvosának, a' m. k. t. t. 's több tudós társaságok rendes tagának
baráti szeretettel ajánlja

A' Szerző.

Caput I.

Notiones generales de methodi endermicae ratione, nec non adplicatione.

Definitio.

Methodus endermica, seu endermatica, illa dicitur medendi ratio, qua remedia aegrorum cuti privatae epidermide, eo adplicantur consilio, ut a vasis lymphaticis et venis absorpta, ad latitem vitalem deferantur, aut ultimos ramulos nervulorum periphericorum immediatim percellendo, systematis hujusce metasyncrisin inducant.

Hac notione omnes medendi rationes excluduntur, ubi substantiae medicatae, sive cuti integrae, sive casu fortuito laesae, sive tandem membranarum mucosarum expansionibus applicantur, e. c. illinitiones, inunctiones, cuiuscunque sint generis cataplasmata, nec non fomenta et sic porro.

Epidermidis solutio.

Epidermis, involucrum extimum videlicet corporis, ambitum organismi a mundo externum limitans, ultimum stratum mucum malpighii, influxibus externis in laminam papyraceam, siccatum et consolidatum sistit, hac ratione jam jam regno organico appropinquat. Haec cuticula densa impedit, quominus acrius substantiae adplicatae absorbeantur, inque circulum humorum deferantur, quapropter primum ante omnia eo adagendum est, ut arte remo-

veatur, atque tali ratione vasa absorbentia, quibus corpus papillare tantisper abundat, nec minus nervi peripherici denudentur, et efficacia medicaminum eo facilius percellantur.

Hunc in finem hucdum medici praeter simplicia emplastra Cantharidum, et — si cito agendum fuit — Ammoniam liquidam a medico gallico Trousseau dicto propositam, vix quidpiam in usum convertunt.

Aqua ebulliens elevat epidermidem quidem in vesiculas, incertum tamen ciet effectum, et latius diffusa, dolores aegro inutiles causat.

Alcalia caustica, nec non acida mineralia, escharam gangraenosam in loco vesiculae producunt, organicamque compagem hostili adeo impetu adoriuntur, ut externa superficies corii penitus destruat, atque processus absorptionis hac ratione praeepiatur, ceterum effrenem provocant suppurationem, quae difficulter coercetur, deformesque cicatrices causat, interdum per longam seriem annorum doloribus periodice redeuntibus aegros vexantes.

Euphorbii succus recens, cortex Mezerei, et reliquae substantiae virtute acri imbutae, forma vesicularum epidermidem elevare valent, actione mox tarda et incerta, mox nimis irritante insignantur.

Wolfsheim Mercurii deutochloridum imprimis adhibendum censet, dum usus Cantharidum contra indicatur.

Rossi periculo imminente, vel vi partis resorbente prostrata, exutorium, medicamine soluto humectatum, cum utroque apparatus Galvanici conductore per aliquot horas in contactu tenet.

Hoffmann vulnera, aut lanceola aut hirudinum morsu producta, impraegnavit substantiis medicatis, ast remedii absorptionem mox haemorrhagia, mox inflammatione, mox coagulo cruento praepediri observavit; serius acidum sulphuricum concentratum et Ammoniam puram tentavit, quin inde fructus exoptatos adipisceretur, hanc ob rem affirmat omnibus reliquis epidermidem solvendi methodis Cantharidum emplastrum praeferendum esse, si opus, partis, cujus epidermis solvenda est, cum

Ammonia liquida frictione: illinitione olei cujusdam blandi, aut inspersione pulveris cantharidum augere et accelerare licet.

L a f a r q u e s lanceolam imbutam medicamine, ac si vellet pus ingerere vaccinum, infra epidermidem immersit.

F e h r tincturam commendat, quae constat ex anaticis quantitatibus Aceti concentrati, alcoholis, pulveris cantharidum, utpote vesicans validissimum.

C a r l i s l e et H o f f m a n n cultrum, fortem acum, qualem adhibent foeminae in filis conserendis, aut aliud simile instrumentum ferreum aqua ebulliente cutique linteo munitae per aliquot momenta apprimi. — M a r t i n his in casibus, ubi periculum in mora, vulnus extemplo cultro peragi suadet.

Adplicatio remediorum.

Vesicula forficis auxilio aperta et remota, nec non irritatione, si fors nimia, complacata, medicamen absorbendum exutorio leni manu admovetur, ratione per omnem vulneris superficiem aequabili distribuitur, linteo molli, charta cerata, panno sericeo cerato, vel folio glabro recenti obtegatur, et emplastri angelicani ope firmatur. Remedia liquida nonnisi guttatim, nec magna ex distantia exutorio instillantur. Ad mentem L e m b e r t vesicula non detrahenda, sed auxilio forficis in apice aperienda, indeque foramen factum, prius sero evacuato, medicamen immittendum, nisi taedeat medicum operationis non minus longinquae ac subtilis.

Remedia adhibenda.

Non omne medicamen est aptum, ut possit endermatice adhiberi, cum modo parva sit superficies, cujus vis absorbens, vel nervi in usum vocari possint; talia medicamina, quae parvo volumine efficaces exerunt vires, sunt praeprimis apta. Primum locum occupant substantiae plantarum alcaloideae; in his enim se se praebeant, quae sunt efficacia principia medicaminum, superfluis liberata additamentis. Debent praeterea, quae adplicantur, vel solvi posse, sine qua conditione haud bene contingit absorptio, vel saltem contactu, quem cum systemate nervoso ineunt, agere,

ita ut omnia, quae assimilationem exigunt, omnino rejiciantur. Procul dein ab illis omnes absint nimis irritantes vires, nisi congruis possint minui involvique additamentis.

Locus.

Ad aptum locum seligendum, cui medicamina adplicentur, exposcit omnem medentis dexteritatem ac circumscriptionem. In genere praeprimis aptus est ille locus, ubi absorptionis processus alacrius procedit. Eo autem est vivacior absorptio, quo uberior quantitas nervorum ac vasorum, quo magis superficialis horum decursus, quo tenuior epidermis, quoque facilius demum abstrahenda; ideoque ad internam superficiem extremitatum, anteriorem partem trunci, ad nucham, processum mastoideum, ad latera thoracis, ad epigastrium etc. Eo certiore promptioreque effectum expectare licebit, quo minus locus adplicationis a sede adfectionis distiterit, aut quo fervidius partem inter utramque vigureit sympathicum commercium: sic in paralysi extremitatum illae seliguntur regiones columnae vertebralis, ubi nervi motorii proxime radices figunt — hinc in paralysi extremitatum superiorum ad vertebrae cervicales inferiores, sin autem extremitates inferiores adficiantur, ad vertebrae lumbales; in spasticis laryngis atque thoracis affectionibus ad nucham, in faciei convulsionibus pone auriculam et s. p.

Porro experientia multiplex testatur, remedia nonnulla effectum eo citiorem fortioremque exercere, quo organo propinquius adplicantur, in quod affinitate quasi specifica feruntur: Strychninum itaque in medullae spinalis, Morphinum in encephali, Belladonnam in oculi, Aloën in tubi intestinalis viciniis.

Observationibus denique cel. Lambert evictum est, eandem medicaminis dosim citius facilius absorberi, morbike atrocitatem promptius infringi, siquidem locis pluribus, iisque separatis insimul impersa fuerit. Exinde nullo negotio abstrahere licet regulam, exutoria plura et disjuncta, uni eoque pergrandi longo esse praeferenda; quod praeprimis, si morbus in pluribus organis radices figit, magni est momenti.

Tempus.

Pro usu endermico remediorum tempus maxime idoneum illud dijudicatur, quo processus vitalis peripheriam versus tendens in ambitu potissimum corporis effervescat; hinc ante omnia aestate, jove sereno sicco, praeprimis post balneum assumptum, porro vesperi, quum recedente per somnum vita animali, vitam reliquam praeponderare liquet. Nec unquam negligat medicus conditionem stomachi; digestionis enim et resorptionis periphericae opus sibi e diametro esse oppositum, ratio docet aequae ac experientia.

In morbis typicis apyrexias remediorum adplicationi endermicae favere sponte liquet.

Forma.

Forma in genere ea praeferenda, quae reliquis efficacior, maximam remedii divisionem, aequabilem distributionem admittit; quapropter forma pulveris omnibus reliquis palmam praeripit, quum non solum singulorum remedii principiorum integritatem tueatur, dosimque adcuratissime dijudicari sinat, sed magnus pharmacorum numerus, uti: Calomel, Sulfur, auratum Antimonii, flor. zinci, Chininum etc. quamlibet aliam formam respuat. Notandum tamen est pulveres nonnisi subtilissime contritos — alcoholisatos — in usum esse vocandos; pulvis enim ruditer contusus tantum abest, ut a vasculis minimis resorbeatur, ut potius corion denudatum irriter, corrodatque, unde inutiles aegro parantur dolores: sin autem vulnus, sensilius aequo pulverem nec tenuissimum ferat, aut substantiae nimis acres, e. gr. Scilla, Strychninum sulfuricum, Tartarus emet. etc. praescribantur, tum aptae Sacchari, aut unguenti cujusdam blandi quantitati copulentur necesse est; licet, omnibus his vehiculis remedii efficaciam imminui, incertamque reddi, nemo infitias ibit, sic Tartarum stibiat. optime involvimus sebo ovili, Jalappinem exigua quantitate alcoholis solvimus, ol. crotonis Tiglii oleo amygdolorum

dulcium attenuamus; remedia vero narcotico acria plagae panno bombycino (Flor) munitae adplicamus, quo dolor, ex immediato ejus cum corio denudato contactu oriundus mitigatur. Antequam medicamenta liquida admoventur — quo solutiones, infusa, decocta, succi expressi etc. pertinent — exutorium sedulo siccari debet, ne particulae sero solutae et attenuatae, efficacia sua priventur.

Remedia liquida linteorum carptorum (Charpie) ope exutoriis adplicandi methodus, tum ob dosim minime determinandam, tum ob lintea, quae vulneri adglutinentur, aegre solvenda dissuadetur.

Dosis.

In hacce methodo adhibendorum medicamentorum dosi determinanda, praeter generales, quae e subjecti individualitate, sexu, aetate, temperamento, consuetudine, vivendi ratione, constitutione, idiosyncrasia, morbi natura et studio etc. fluunt, regulas, sequentia consulere oportet momenta.

1) Pharmaci virtutem usu endermatico comprobata; quo fortiores enim et vehementiores effectus methodo endermica adplicatum exerere consuevit, eo pariori manu exhibeantur remedia; maxima hoc intuitu circumscriptio commendanda in usum narcoticorum, quum dosis dimidia, imo quarta grani parte quantitatem congruam vix superantes, horrendos interdum effectus: spasmus convulsionis, tetanum ect. provocassent, quod praesertim circa praeparata Morphii Strychnique multiplex experientia docuit. Reliquorum medicamentorum quantitas duplo aut triplo sit major in genere ea, quae in usum internum ministrari solet.

2) Substantiae solubilitatem: agere enim nequit, nisi quod vasculis absorptum, organismi interiora penetraverit; antequam autem materia quaedam vasis absorbentibus recipitur, humoribus inquilinis solvatur, necesse est; quo solubilior itaque substantia, eo facilius resorbetur, effectus eo graviores movet, dosique eo leviori administrari debet.

3) Partis affectae sensibilitatem; nec non organorum nobilium vicinitatem; hocce respectu centra nervea sensuumque

externorum organa summam attentionem merentur; sic *L e m b e r t* et *R i c h t e r* casus memorant, ubi per *Strychninum*, hac methodo columnae vertebrali adplicitum, intra nyctemerii spatium tetanus evolveretur; sic *Belladonna* oculi viciniae admota, amaurosin paralyticam causavit, maximi itaque momenti regula est, medicamina cura initiante, parcissimis nonnisi dosibus propinandi et lento pedetentim passu augendi.

4) *Affectionis situm*, imprimis si de remediis narcoticis agitur; virtus enim narcotica pro propinguitate certorum nervorum crescit.

5) *Curae successum*, effectus enim pro remedii natura, aequae ac aegri receptivitate, partisque adfectae vitalitate, modo citius, modo tardius in lucem emergunt.

Repetitio remedii tum per eius naturam, tum per vitalitatem partis, cui admovetur, nec non organismi receptivitatem definitur, praecipue autem ex effectu dijudicatur, qui primis interdum horae minutis manifestatur, et nisi omnes omnium auctorum observationes fallant, vis ultra nycthemerium desideratur.

Effectus.

Effectus, qui provocantur remediis endrematice adhibitis duplicis sunt generis; universales nimirum et locales.

a) Effectus universales.

Effectus universalis in toto organismo, aut saltem in uno alteroque ejusdem systemate manifestatur, quo respectu singularis, quae medicaminum cuivis convenit virtus, eadem observatur, sive ventriculo ingestum, sive cuti denotatae admotum fuerit. Effectus hic processu obtinetur, illi qui tubo gastrico enterico absolvitur, omni respectu analogo; etenim substantia medicata in exutorio cum humore in contactum venit, ibidem secreto, cui mixta sensim solvitur, et quodam modo assimilatur; antequam vasculis retorpta in humorum circulum defertur.

Hisce horum opinio nullo negotio dijudicatur, qui e medicamentis endermice usitatis, quum assimilatis et processu simpli-

ciorē et via breviori absolvetur, effectum non solum promptiorem exspectant, ac si ore introducta fuissent, sed etiam virtutem veram, magisque genuinam eruere posse arbitrantur; quae sententia haud saliva, bili et muco, nec reliquis succis inquilinis contaminari, talique pacto decomponi, proprietatibusque suis exui perpendimus.

b) Effectus localis.

Effectus localis consistit in irritatione superficiei vulneratae, per topicum titillationis, pruritus sensum, nec non arcorem sese manifestante, qui sub narcoticorum usu secundum nervorum decursum ulterius propagantur. Hujusce irritationis justus requiritur gradus, ut quos speramus, methodus endermica ferat fructus; resorptio enim cutanea a vi eiusdem secretoria quadamtenus dependet, utraque autem medicamine incitata, cum irritatione pari passu increscit; sicuti enim una ex parte remedia, ut ut blandissima vulnere inspersa, irritationem moveant, sic altera ex parte, irritatione justo validiori, ad inflammationis usque gradum exaltata, secretionis fontes siccescunt, resorbtionis processus suspenditur, pulvisque corio arido per longum tempus incolumis adhaerebit. Phaenomena haecce primaria cito nonnunquam aegrorum levamine stipantur, spasmi quiescunt, atrocissimi sopiuntur dolores, dummodo remedia adfectionis fonti — nervorum finibus periphericis — applicare licuerit, effectum autem hunc, quum ad organismi systema refertur; generalibus accensendum esse autumamus.

Indicationes.

Indicatur methodus endermatica:

1) Quandocunque accessus ad tubum gastro-entericum non conceditur; non raro enim occurrunt casus, ubi oris, faucium aut aesophagi lumen nunc per spasmum et inflammationem, nunc per vitia organica aut coarctatur, aut prorsus tollitur talique ratione therapiae internae via praecluditur.

2) Quotiescunque status fistulae cibariae morbosus medicamento ingeri vetat e. gr. nimia sive ventriculi, sive canalis intestinalis sensilitas, irritatio, inflammatio, spasmus, ubi quaecunque ore assumpta fuerint, illico ore aut ano ejiciuntur, hinc in cardialgia, colica, carcinomate, ileo, diarrhaca, paralytica, lenterica, dysenteria, sphincterum, paralyti etc.

3) Si remediorum interna administratione organa ventriculo contigua, aut vinculo sympathico nexa mole adficiuntur, affectus proinde secundarii, tum in systemate sensifero, tum circulatorio aut reproductivo metuendi sunt.

4) Quandocunque aegri invincibili, quaecunque manu pharmacoplae praeparata fuerint, aversantur odio, ita quidem, ut non solum sapore et odore, verum ipso adspectu abhorreant, ut in faeminis hystericis, gravidis, infantibus saepenumero observandi conceditur occasio; hocce casu haud parum lucramur eo, quod remedia, aegro vel inscio adplicari queant.

Indicationibus hisce proxime accedunt sequentia, quae certis sub circumstantiis ex methodo endermica fluunt, emolumenta:

1) In morbis quibusdam topicis: ubi remedia organo adfecto immediatim, aut in majori minorive distantia sunt adplicanda, methodus endermica omnino respondet votis, uti saepe in prosopalgia, tussi convulsiva, ischiade nervosa et s. p.

2) Dantur affectiones nonnullae admodum dolorificae, in quibus actis praesidia endermice usitata effectum citiorem pollicentur, ac si in ventriculum introducta fuissent; ita experimentis a Trousseau et Bonnet institutis constat, Morphei quarta grani parte methodo endermica adplicata, dolores et spasmos tribus horis citius complacatos fuisse, quam granis duobus interne sumtis.

3) Quando idem remedium per diuturnum tempus administrandi urget necessitas, misso pro tempore usu interno, methodum endermicam non absque fructu in usum trahere licet, quod imprimis de morbis chronicis valet, ubi ventriculus eidem remedio sensim adsuescit, nulla amplius movens reactionis phaenomena.

4) Methodus endermatica in morbis pertinacibus usui interno unctis, curam adjuvat.

5) Patente quaquaversus adplicationis loco, symptomatibus, si quae ex incauto pharmacorum heroicorum usu justo fortiora in lucem emergerint, facillime succurrendum.

6) Ventriculo materiis diversissimis repleto remediorum intus susceptorum efficaciam impediri aut prorsus aboleri, non infitandum; ventriculus torpidus in genere pro pharmaca aegre adfici-tur, irritabilitas vero facile violatur. Methodo endermicae e contra ampla patet superficies, in qua adplicationis locum toties mutare licet, quoties id irritatione nimia necessarium evadit.

7) Methodo endermica parva generatim remediorum doses efficaces cernuntur, quare in praxi pauperum remediorum corrigentium, constituentium, nec non praeparantium caterva evitatur.

Methodi endermicae autem usus disva-
detur:

- 1) Si remedium largis solum dosibus effectum promittit.
- 2) In remediis causticis et adstringentibus.
- 3) In cute admodum vulnerabili.
- 4) In febribus Synochalibus, nec non organorum nobilium.
- 5) In hominibus obesis, nec non impetiginibus adfectis.

Cautelae.

1) Remedii endermice adhibendi quantitas cum vi resorbente vulneris, cumque humoris ibidem secreti copia, indirecta ver-setur proportionem, id quod praecipue de forma pulverea notandum.

2) Secretioni in exutorio uberiori forma praesertim pulveris respondet, vulnere e contra siccescenti aptius instillantur liquida.

3) Antequam medicamen adplicaveris, omnia impedimenta resorptionis sedulo removeas, huc referentur: superficiei vulne-ratae sive inflammatio; sive excedens sensilitas, aut torpor, aedema, pseudo membranulae, in quas secretum vulneris pathi-cum iterum iterumque coalescit, texus cellularis luxurians, mox fungorum, mox marginum lardaceorum, aliarumque excrescen-tiarum formam praeseferens. Remedia autem adplicati resorptio tum balneo universali, tum cataplasmate emolliente obtinenti adjuvatur.

4. Morbi renum, febresque cantharidum quidem, nequaquam autem methodi endermaticae usum vetant, hoc in casu ad methodum a Trousseau et Hoffmann modificatam confugiendum.

5) Ammonia liquida emplastro cantharidum citius epidermidem solvit, praefertur itaque, quandocunque periculum in mora.

6) Quodsi effectus sive localis sive universalis justo validiores comparuerint, tum medicamine seposito exutorium aqua tepidula abluatur, irritatio fomentis emollientibus dissipetur, aut cucurbita sicca ad mentem Bally admoveatur, atque antidata superficiei bene depuratae adplicentur.

7) Quodsi effectus salubres per aliquot dies non adpareant, ab endermatica remedii adplicatione, ne tempus temere tereatur, abstinendum, quum remediiis endermatice administratis effectus, multo citius ac sub usu interno comparuisse, multiplici experientia constat.

8) Remedia acria e. g. Scilla, pulvis Daturae, etc. irritationis leniundae causa dermati linthio tenui munito adplicantur.

9) Sacharum optimum sistit et constituens et involvens; substantiae enim glutinosae, ut Gummi, Amyllum, cum lympa et pure in crustas concrescunt, vascula resorbentia obvolvunt, resorptionemque praepediunt.

Theses.

1. Historia medicinae, cum Historia generis humani coeva; hin.
2. Homines ab animalibus didicisse artem medendi fabula est.
3. Optimus et felicissimus erit medicus, qui Philosophus, medicinae, chirurgiam sublimiorem jungit.
4. Non minus est virtus Therapiam selectam ac individualisatam instituendi ac ars diagnosim stabiliendi.
5. Nullius medicamenti nec indicatio, nec contraindicatio viget absoluta.
6. In medicina maxime prodest scepticismus.
7. Idem morbus diversis in diversis individuis sanatur remediis.